

*Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.*

### **I. Übersetzung**

1     Saepenumero civitatis nostrae principes audio culpantis  
2     modo agrorum infecunditatem modo caeli per multa iam tem-  
3     pora noxiam frugibus intemperiem, quosdam etiam praedictas  
4     querimonias velut ratione certa mitigantis, quod existi-  
5     ment ubertate nimia prioris aevi defatigatum et effatum  
6     solum nequire pristina benignitate praebere mortalibus ali-  
7     menta. quas ego causas procul a veritate abesse certum  
8     habeo, quod neque fas est existimare rerum naturam, quam  
9     primus ille mundi genitor perpetua fecunditate donavit,  
10    quasi quodam morbo sterilitate adfectam, neque prudentis  
11    est credere Tellurem, quae divinam et aeternam iuventam  
12    sortita communis omnium parens dicta sit, quia et cuncta  
13    peperit semper et deinceps paritura sit, velut hominem con-  
14    senuisse. nec post haec reor violentia caeli nobis ista,  
15    sed nostro potius accidere vitio, qui rem rusticam pessimo  
16    cuique servorum velut carnifici noxae dedimus, quam maiorum  
17    nostrorum optimus quisque et optime tractaverat.  
18    Atque ego satis mirari non possum, quid ita dicendi cupidi  
19    seligant oratorem, cuius imitentur eloquentiam, mensurarum  
20    et numerorum modum rimantis placitae disciplinae consecen-  
21    tur magistrum, vocis et cantus modulatorem nec minus cor-  
22    poris gesticulatorem scrupulosissime requirant saltationis  
23    ac musicae rationis studiosi, iam qui aedificare velint, fabros  
24    et architectos advocent, qui navigia mari concredere, guber-  
25    nandi peritos, qui bella moliri, armorum et militiae gnaros,  
26    et ne singula persequar, ei studio, quod quis agere velit,  
27    consultissimum rectorem adhibeat, denique animi sibi quisque  
28    formatorem praeceptoremque virtutis e coetu sapientium arces-  
29    sat; sola res rustica, quae sine dubitatione proxima et quasi  
30    consanguinea sapientiae est, tam discentibus egeat quam ma-  
31    gistris. adhuc enim scholas rhetorum, vel, quod magis miran-  
32    dum est, contemptissimorum vitiorum officinas non solum esse  
33    audivi, sed ipse vidi: agricolationis neque doctores qui se  
34    profiterentur neque discipulos cognovi. at sine agri cultori-  
35    bus nec consistere mortalis nec ali posse manifestum est.

### **II. Sprachliche Erläuterungen**

1. Benennen Sie einige poetische Elemente in der Sprache dieses Textes!